



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XX. Idem probatur ex Vicariis Papæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

Quoniam ergo Victor Papa videbat, illam diuersitatem de Paschate, non esse diuersitatem solum obseruationis, sed adferre secum hæresim, immò ipsum Iudaismum, maturè occurrendum putauit. Probauerunt autem sententiam Victoris Patres Nicæni Concilij, vt patet ex Eusebio lib. 3. de vita Constantini; & deinceps hæretici habiti sunt, & Quattodecimani appellati, qui contrarium senserunt, vt patet ex Epiphanio hæresi 50. & Augustino hæresi 29.

CAPVT XX.

*Idem probatur ex Vicariis Papæ.*

**A**RGUMENTVM octauum ex eo sumitur, quod summus Pontifex vicarios suos in variis regionibus aut ordinariè aut ad tempus habebat, cum reseruatione tamen maiorum caussarum.

Nam quemadmodum ex eo quod Rex mittit Proreges ad prouincias, intelligimus Regi eas prouincias subiectas; & similiter ex eo quod Rex iniungit iudicia præsidibus prouinciarum cum reseruatione certarum caussarum, intelligimus Regem esse summum Iudicem: ita quoque ex eo quod Apostolica sedes vicarios habebat in omnibus ferè longinquis regionibus vel vices suas ad tempus alicui committebat, & tamen ad se grauiora negotia referri volebat; rectè colligimus ad Apostolicam sedem summum iudicium totius Ecclesiæ pertinere. Exempla sunt plurima.

LEO epist. 84. facit Anastasium Episcopum Theffalonicensem vicarium suum per Orientem, sicut eius prædecessores vicarij fuerant prædecessorum sancti Leonis, vt ipse ibidem indicat. Quæ causa videtur fuisse, cur in Sardicensi Concilio, canon. 20. statueretur, ne clerici extranei diu morarentur Theffalonicæ. Quoniam enim ibi sedebat vicarius Papæ, eo confluebant ex tota Græcia clerici, & sæpe diutius hærebant quàm oportebat. Idem epist. 87. committit vices suas Potentio Episcopo in regionibus Africa.

CELESTINVS Papa Cyrillo Alexandrino vices suas commisit in causa Nestorij Episcopi Constantinopolitani, & Ecclesia illa Constantinopolitana regenda, Episcopo deposito. Vide

*Anastasinus*

Vide epistolam Celestini ad Cyrillum in tomo 4. operum Cyrilli; & ibidem epistolam Cyrilli ad clerum, & populum Constantinopolitanum.

GELASIVS in epistola ad Episcopos Dardaniæ: *Constat, non ad sedem Apostolicam, à qua sibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre curauit Acacius?* Locutus de Episcopo Constantinopolitano Acacio, cui commiserat Romanus Pontifex curam Ægypti, ac mandauerat proponeret Episcopum Alexandrinum.

HORMISDA in epist. ad Salustium Episcopum Hispaniæ, facit eum suum vicarium per Boeticam & Lusitaniam. IUSTINIANVS in authenticis collat. 9. tit. 6. siue nouellæ constitutione 131. scribit, Episcopum primæ Iustinianæ loci quibusdam præesse debere tanquam vicarium Romani Pontificis, quoniam ita Vigilius Papa constituisset.

GREGORIUS lib. 4. epist. 52. vicarium suum per Galliam constituit Virgilium Episcopum Arelatensem, & sibi referuat causas grauiores.

## CAPVT XXI.

### *Idem probatur ex iure appellationum.*

**A**RGUMENTVM nonum ex eo peti potest, quod ex quauis parte orbis Christiani ad Romanum Pontificem legitime prouocatur; ab eius sententia nulla conceditur appellatio. Id est est argumentum certissimum principatus, ut ipse quoque uersarius confitetur. CALVINVS enim lib. 4. Inst. cap. 1. *Summum, inquit, imperium penes eum esse constat, ad quod tribunal prouocatur. Sed mox subiungit: Multi saepe Romanum Pontificem appellarunt, ipse quoque, causarum cognitionem se trahere conatus est, sed semper fuit derisus, quatties sententia excessit.* Itaque uult Calvinus, multos quidem prouocasse se ad Pontificem, ut effugerent legitima iudicia, sed deesse fuisse eiusmodi appellationes: quomodo nunc uerè ridetur aliquis, qui damnatus ab Episcopo Florentino, appellaret Episcopum Mediolanensem; vel damnatus à Rege Hispaniæ appellaret ad Regem Galliarum.

Proba